GREGORIUS episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Sincere devotionis affectus quem dilecti filii universitas Terre nostre Montissancti Firman dioc ad nos et Romanam gerunt ecclesiam et probata fidelitatis constantia quam erga eandem ecclesiam presertim hoc procelloso turbinum tempore firmiter ostenderunt merito promerentur ut ea que pro ipsorum commodo et statu provide facta sunt apostolico munimine roboremus. Sane petitio pro parte universitatis predictorum nobis exhibita continebat quod olim dilectus filius Firmanus Angelutii de Castro Montislupone laicus dicte dioc dedit vendidit tradidit et in perpetuum concessit dilecto filio Antonio Thome tubatori de Montesancto laico Sindico et procuratori universitatis predicte ad hoc specialiter constituto recipienti nomine et pro parte eorundem universitatis tantum terram ipsius Firmani quanta erit necessaria et oportuna eidem universitati pro manutenendo et faciendo vallatum novum seu cavam pro conducendo et mittendo aquam fluminis quod dicitur Potentia ad molendina dictorum Terre et universitatis vel alio prout eidem universitati placuerit itaquod liceat predictis universitati huiusmodi vallatum facere et clusam edificare ac aquam mittere et conducere per dictam terram per quemcunque locum et in quacunque forma cum quacunque profunditate et largitudine voluerint universitas antedicta et ultra dictum vallatum ab utraque parte dicti vallati sive cave possint esse vie per quas homines personaliter cum animalibus oneratis cum fictolis et aliis edificiis necessariis et oportunis pro sustentando et manutenendo vallatum predictum possint ire et redire pro pretio et nomine precii florenorum auri Quadragintaquinque quos quidem florenos Quadragintaquinque totum videlicet pretium supradictum idem Firmanus a dicto Sindico nomine et pro parte universitatis predictorum et de ipsorum pecunia manualiter habuit et recepit prout in quodam instrumento publico inde confecto hec et alia plenius continentur. Quare pro parte dictorum universitatis nobis fuit humiliter supplicatum ut venditioni traditioni et concessioni huiusmodi ac aliis in dicto instrumento contentis robur apostolice firmitatis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati venditionem traditionem et concessionem predictas et alia in eodem instrumento contenta rata habentes et grata ea auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus supplentes omnes defectus si qui forsan intervenerint in premissis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis communitionis et suppletionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat Gaiete v kl Maii Pontificatus nostri Anno Quinto.

Thu

xx
N. de Ferentino
P. de Pittfelo.

.C. de Beneuento .

N

x di Camporayan[illegible]

Priuilegium [illegible] ch[illegible] in territorio de [illegible]

Greg.° XII

N.° 25.° 1411